

B
CIV, 17.

DE
L I M I T I B V S
QVIBVS FACVLTAS DOMICILII MVTANDI
CIRCVMSCRIBITVR

DISSE R T A T I O

Q V A M

P R A E S I D E

D. GEORGIO STEPHANO
WIESANDIO

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSI-
LIIS SVMMI PROVOCATIONVM SENATVS DECRETALIVM
PROFESSORE PUBLICO FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO
CONSISTORII ECCLESIASTICI DIRECTORE CVRIAEC PRO-
VINCIALIS ET SCABINATVS ASSESSORE

DIE XVI. APRIL. A. R. S. C I O I O C C L X X X X I
H. L. Q. S.

AD DISCEPTANDVM PROPOSITVRVS EST

A V C T O R

HENRICVS CHRISTOPHORVS KIRSCH
D R E S D E N S I S.

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRIL.

DE
L I M I T I B A

CHIRURGIA ET MEDICINA IN LIBRIS

CHICAGO LIBRARY

S T A T E S U N I T E D

U. S.

1860

D E G O R G I O S T E P H A N O

N I F T I M I C H A E L

CHIRURGIA ET MEDICINA IN LIBRIS

CHICAGO LIBRARY

U. S.

1860

D E G O R G I O S T E P H A N O

N I F T I M I C H A E L

CHIRURGIA ET MEDICINA IN LIBRIS

CHICAGO LIBRARY

ILLVSTRISSIMO
SVMME VENERABILI ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
DETLEV CAROLO
S. R. I. COMITI DE EINSIEDEL
DYNASTAE IN WOLKENBURG, EHRENBERG,
MÜCKENBERG, CET.
SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE INTIMAE ET
SANCTIORIS ADMISSIONIS MINISTRO COMITIQVE
CONSISTORIANO CANONICO MERSEBURGENSI

R E L.

ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO
GEORGIO REINHARDO
S. R. I. COMITI DE WALLWITZ
DYNASTAE IN SCHWEICKERSHAYN,
SCHMORKA, WISA, CET.
SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE INTIMAE ET
SANCTIORIS ADMISSIONIS MINISTRO COMITIQVE
CONSISTORIANO SANCTIORIS SENATVS. QVI
REBVS FISCALIBVS PRAEEST PRAESIDI

R E L.

ITIATRIS
SVMUS AEROPHILAE EXCELSITAS
HOC
DOMINIO
SPECIMEN QVALECVNQVE ACADEMICVM
IN SIGNVM
PIETATIS ANIMIQVE DEVOTI
D. D. D.
SEQVE AC RES SPESQVE SVAS
ILLORVM BENEVOLENTIAE

TRADIT ATQVE COMMENDAT
GEORGIO REINHOLDO
CPII. CORTII DE MAHIMETTE
DAMASCATOR IA SCHWICHTERLYCH
SCHEMOWAY WISE CER
HENRICVS CHRISTOPHORVS KIRSCH.



§. I.

Instituti ratio.

Sapienter legibus Saxoniciis constitutum est, vt iuuenes, qui in academiis discendae iurisprudentiae operam dant, non prius, quam antea legitima doctrinae sibi comparatae specimina ediderint, ad munera publica sint admittendi. Quod quidem institutum vti afferit varia eademque eximia reipublicae commoda; ita illud quoque haud spernendum praefat, quod sic publice reddatur temporis impensi ratio, parentibus vero aliisque patronis vita antea acta magis probetur. Evidem probe scio, me non ea doctrina esse instructum, quam quidem exigit argumenti, quod tracio, grauitas. Sed pietas, qua patrem optimum colo, me impellit, vt eius desiderio, quantum per ingenii tenuitatem licet, satisfacere studeam. Bono igitur animo iam accedo ad meos letores, quorum humanitate fretus spero, fore, vt meum qualecunque studium beneuole interpretentur. Iam vero ante omnia libelli mei consilium pacificare et volo, et debo. Intellexi saepius, in foro acres agitari controuersias de libertate domicilium mutandi. Non nulli



nulli eam nimis late extendunt; alii e contrario plus iusto restringunt. Vtrumque publicae saluti est parum consentaneum. Est igitur mihi propositum regere quasi limites, quibus libertas mutandi domicilium, iure Romano et nostro, passim circumscribitur. Quod vt ordine fiat, primo quaedam de facultate domicilii constituendi illudque mutandi in genere praemittam; deinde, quibus limitibus eadem restringatur, ostendam; denique singularem pactionem inter despontatos de domicilio haud mutando, breuiter excutiam.

§. 2.

De facultate constituendi domicilium in genere.

Inter commoda, quae ipsa nobis tribuit naturalis libertas, et illud referto, quod quisque suo arbitrio sibi possit eligere certum, in quo versari et habitare velit, locum. Ipsa quidem natura homini, dum nascitur, natale solum assignare videtur. Sed ut omnibus est integrum sua augere commoda, vitare vero pericula aliqua incommoda; ita non est dubium, quin etiam facultas eligendi locum, in quo quis vel ad tempus, vel in perpetuum commorari velit, universis hominibus sit salva, dummodo sic exerceatur, vt nemo inde laedatur. Non igitur erit licitum, alios de sedibus, quas iam occuparunt et quas iusta possessione tenent, violentis modis pellere. Neque ius Romanum ab his iuris naturalis praeceptis recedit. Sed vt rectius intelligatur, quid Romani de hac re sentiant, quaedam erunt praemittenda. Domicilium in sensu proprio denotat cum locum, vbi quis sedem fortunae figit stabilem eo quidem animo, vt ibi perpetuo habitet. Ad id igitur constituendum non solum requiritur animus, vt quis in loco, quem sibi elegit, perpetuo versari velit, sed et factum habitationis. ALFENVS VARS notionem domus in l. 203. D. de V. S. ita exprimit: *igitur quaeri*

quaeri soleret, utrum, ubi quisque habitaret, sive in provincia, sive in Italia, an duntaxat in sua cuiusque patria domus esse recte dicetur? Sed de ea re constitutum esse, eam domum unicuique nostrum debere existimari, ubi quisque sedes et tabulas haberet suarumque rerum constitutionem fecisset. **VLPIANVS** vero in l. 1. §. 2. D. de agnosc. et alend. liber. haec tradit: domum accipere debemus hospitium si in ciuitate maneat: quod si non sit, sed in villa, aut municipio, illuc, ubi larem matrimonio collocarent. His adiungimus sanctionem imperator. **DIOCLETIANI** et **MAXIMIANI** in l. 7. C. de incol. ita conceptam: et in eodem loco singulos habere domicilium non ambigitur, ubi quis larem rerumque ac fortunarum suarum summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet: unde cum profectus est, peregrinari videtur, quod si rediit, peregrinari iam destitit. Romanis vero ita fuit visum, duplex hominibus domicilium contingere, vnum naturale, quod ipsa dare solet natura: alterum adventitium, quod quis non a natura accepit, sed suo sibi ipse elegit arbitrio. Prius accidit in eo loco, vbi quis natus est, quod potissimum ex persona patris aestimatur. In quo quidem simul inest forum originis. Tantam vero vim eidem tribuerunt, vt illud perpetuum atque immutabile esse, statuerint. Hinc licet quis alibi domicilium constituisse, nisi privilegium speciale intervenisset, forum originis, quod commode naturale dixeris, retinuit atque in eodem conveniri potuit. Ita enim sancit l. 6. C. de incol: privilegio speciali civitatis non interveniente, tamen originis ratione ac domicili voluntate, ad munera civilia quemque vocari, certissimum est. Persuasere igitur sibi Romani, ideo quod quis in certo loco paullo diutius versetur, negotiorum expediendum caussa, veluti, vt ibi artes ac litteras discat, mercaturam aliasque negotiationes tractet, commercia colat, vel negotia commissi sibi muneris peragat, ibi forum domicilii haud nancisci. Hinc **VLPIANVS** in l. 5. §. 5. D. de iniur: ego puto ad omnem habitationem, in qua paterfamilias habitat, pertinere hanc legem, licet ibi



ibi quis domicilium non habeat. Ponamus enim, studiorum caussa Romae agere, Romae utique domicilium non habet. In eandem quoque sententiam rescripsit Imper. ALEXANDER in l. 2. C. de incol. his quodenu verbis: nec ipsi, qui studiorum caussa aliquo loco morantur, domicilium ibi habere creduntur, nisi decem annis transactis eo loco sedes sibi constituerint, secundum epistolam Divi Hadriani, nec pater, qui propter filium studentem, frequentius ad eum commeat. Sed si alii rationibus domicilium in splendidissima civitate Laodiceorum habere probatus fuerit, mendacium, quo minus muneribus fungaris, non proderit. Amplexi fuere Romani sententiam aequitati naturali valde amicam, cuiusvis arbitrio esse permittendum, quoniam in loco sedem vitae omnisque fortunae constituere velit. Ita enim MARCELLVS in l. 31. D. ad municipal. nihil est impedimento, quo minus quis, ubi velit, habeat domicilium, quod ei interdictum non sit. Filiusfamilias, dum potestati patriae subest, vbiuis ad patris arbitrium se accommodare debet. Sed non necesse est, vt in loco originis semper maneat. Potius VLPIANVS in l. 3. seq. D. tit. adduct. auctor est, filiosfamilias domicilium etiam in alio loco, quam pater habuit, constituere posse. Saepius vero accedit, vt, quo in loco quis domicilium fixerit, non satis constet. Neque negandum, quosdam homines in certo loco diu haud consistere, sed sedibus vagari incertis, et ipsis, vbi pedem figant, nescire. Quorsum non solum referendi erunt vagabundi, qui non inepte vulgo totius orbis terrarum incolae appellantur, sed etiam hi, qui nouarum rerum studio ducti, vel fortunae dubiae vicissitudinibus agitati, terra marique varias regiones pererrant, locum, quo se conferant, adhuc quaerentes. Alii e contrario in pluribus locis sic commorari solent, vt, vbinam eorum sit domicilium proprium, dubitatio oriatur. Utramque speciem exhibit VLPIANVS in l. 27. §. 2. D. Tit. exigit. hunc in modum: *Celsus libr. 1. Digest. tradat, si quis instrutus sit duobus locis aequaliter, neque hic, quam illic, minus frequenter commo-*

9

commoretur; ubi domicilium habeat, ex existimatione animi esse accipendum: ego dubito, si utrobique destinato sit animo, an possit quis duobus locis domicilium habere: at verum est habere, licet difficile est: quemadmodum difficile est, sine domicilio esse quemquam. Puto autem, et hoc procedere posse, si quis domicilio reliquo nauiget, vel iter faciat, querens, quo se conserat, atque, ubi constituat, nam hunc puto sine domicilio esse.

Quae cum ita sint, facile apparet, Romanos, si quaestio fori sit dubia, non temere statuisse, tunc locum esse argumentis probabilibus, quae conjecturam de constituto domicilio inducant. Quorsum pertinet, si quis eo consilio in locum venerit, ut ibi in perpetuum versetur, vel si ibidem ius ciuitatis impetraverit, vel maximam bonorum partem ibi possideat, I. 2. C. ubi Senator vel clarissimi. Hoc quidem argumentum copiosius exposuit ZANGERVS de except. Part. 2. Cap. I. §. 9 seq. quem consuluisse non poenitebit.

§. 3.

Libertas eligendi et mutandi domicilium restringitur primo ipsis legibus.

Libertas domicilii constituendi vel mutandi ipsis legibus interdum ex causis satis grauibus restringitur, quia id ipsum suadet utilitas publica. Ipse status, quo quis vtitur, impedit liberam domicilii mutationem. Quod si quis omnibus sine ulla differentia, plenum permetteret in alia loca discedendi arbitrium, vehementer turbaret officia ad procurandam utilitatem communem necessaria. Scilicet forum domicilii duplex est, voluntarium, vel necessarium. Prius quisque sibi sumit libero arbitrio. Posterius oritur a necessitate, quam leges imponunt, ad quod etiam referre licebit domicilium, quod ipsa natura nobis obtulit. Ita olim senatoribus ipsa vrbis Roma contigit domicilium, quod quidem domicilio originis videbatur

B

esse



esse adiectum. Eleganter PAVLVS in l. 11. D. de Senator: Senatores licet in urbe domicilium habere videantur, tamen et ibi, unde oriundi sunt, habere domicilium intelliguntur: quia dignitas, domicilii adiectionem potius dedisse, quam permutasse videtur. Milites in eo loco domicilium habere videntur, vbi stipendia merentur. L. 23. §. 1. D. ad municipal. In primis vero hoc referendae erunt vxores. Cum enim per connubium contrahatur arctissima vitae societas et inde nascatur individua omnis fortunae communio, facile appareat, cur vxori haud sit permittendum, ut sibi separatum a marito eligat domicilium. Scilicet vxor legitima a marito sumit nobilitatem generis, honorem, forum ac domicilium. Ita vero saepius ab Imperatoribus Romanis sicut constitutum. Disertis verbis fanciunt Imperat. VALENT. THEODOS. et ARCAD. in l. 9. C. de incol: mulieres honore maritorum erigimus et genere nobilitamus, et forum ex eorum persona statuimus: (sin autem minoris ordinis virum postea fortitiae fuerint: priore dignitate priuatae, posterioris mariti sequentur conditionem) et domicilium mutamus. Adde l. 13. C. de dignitat. et l. 38. §. 3. D. ad municip. Relegati in eo loco, quo morari iussi sunt, ex sententia PAVLI ad l. 22. §. 3. D. eod. interim nanciscuntur domicilium necessarium. Hic vero accipi domicilium in sensu lato pro loco, vbi quis ad tempus habitat, satis est manifestum. Ceterum non dubitandum, quin etiam iure Romano is, qui ad tempus in loco moratur, nisi privilegio fori fruatur, magistratui loci sit subiectus. Ita certe statuit CAIVS in l. 29. D. Tit. laudat: *incola et his magistratibus parere debet, apud quos incola est, et illis, apud quos ciuis est: nec tantum municipali iurisdictioni in utroque municipio subiectus est, verum etiam omnibus publicis munericibus fungi debet.* Ad eos, quibus forum necessarium domicilii obtingere solet, referendos esse clericos, quos ipsa muneris, quod geruat, ratio, certae ecclesiae certoque loco adstringit, per se patet.

§. 4.

§. 4.

Deinde testamento.

Qui testamenta faciunt, iis permittitur cum heredibus, quos instituunt, tum legatariis, quos liberaliter iuant, diuer-
sas imponere conditiones, quae, dum legibus et moribus bo-
nis non repugnant, licet sint durae ac valde molestae, omnino
erunt implendae. Heres certe in vniuersa iura et obligationes
defuncti transit et eius quasi personam praesentat, vt ideo in
vniuersum eius voluntati satisfacere teneatur. L. 37. D. de ad-
quirend. vel omittend. heredit. L. 62. D. de R. I. Nec quis pro
parte tantum iudicium supremum probare, pro parte vero
spernere poterit. L. 7. D. de bon. libertor. §. 4 et 5. I. de inoff. testa-
ment. Quid igitur, si hereditas sub ea conditione fuerit relicta,
ne heres vniquam priscum domicilium relinquit? Tunc vero
heres vel eam conditionem praefare, vel lucro hereditatis ca-
rere cogitur. Neque putamus, hanc conditionem, cum ab ho-
nestate haud abhorreat, legatariis esse remittendam. Olim
quidem legata poenae, quae coercendi heredis caussa relinque-
bantur, non erant rata. CAPITOLINVS in Antonin. Pio cap. 8.
VLPIANVS in Fragment. Tit. 24. §. 17. Inprimis vero ea conditio,
qua domicilii mutandi facultas adimebatur, in libertis tantum lo-
cum habebat, in ingenuis vero improbabatur, tanquam libertati
nimis inimica. Ita enim PAPINIANVS in l. 71. §. 2. D. de condit.
et demonstrat: *Titio centum relicta sunt ita, ut a monumento meo non rece-
dat, vel ut in illa ciuitate domicilium habeat: potest dici, non esse locum cau-
tioni, per quam ius libertatis infringitur.* Sed in defuncti libertis alio
iure utimur. Seruis olim ea conditione interdum dabatur liber-
tas, vt monumentis testatoris adessent et lucernas accende-
rent. L. 44. D. de manumiss. testament. Etiam sub eiusmodi
conditione libertis legari potuisse, ex l. 18. §. 5: D. de aliment.
vel cibar. legat. intelligitur: Confer CVIACII Obseru. L. 14. c. 27.



Sed scrupulos iuris antiqui sustulit IVSTINIANVS, qui in
l. un. C. de his, quae poen. nom. ita sanxit: *Superuacuam obser-*
uationem veterum (legum,) per quam testatorum voluntates ad effectum
duci impediebantur, amputamus: praeципientes, nullum valere dicendo
poenae nomine quaedam esse relicta, vel adenta in supremis testantium
voluntatibus, eas infirmare: sed licere testanti pro implenda sua volun-
tate, vel pecunias dari praecipere, vel aliam pecuniariam poenam in-
ferre, quibus voluerit tam in adimendis hereditatibus, vel legatis, vel
fideicommissis, vel libertatibus, quam in praecipiendo ad alias perso-
nas, eas transferri ab eo, cui relicta ab initio sunt, vel aliquid aliis
ab eo dari, si minus dispositionibus suis heres, vel legatarius, vel liber-
tate donatus paruerit. Quodsi aliquid facere vel legibus interdictum,
vel etiam impossibile iussus aliquis eorum fuerit: tunc sine ullo damno,
etiam negle^cto testatoris praecepto, seruabitur. Potest igitur here-
dis, vel legatarii libertas quoquis pacto coerceri, dummodo ei
nihil iniungatur, quod legibus, vel honestati, quae mores
turpes respuit, sit contrarium. Haec sanctio deinde §. 36. I. de
legat. sicut repetita. Confer ea, quae OTTO in Commentar. ad hunc
locum obseruauit.

§. 5.

Porr o p a c t i s.

Et necessarium et vtile est, varias cum aliis inire pactio-
 nes, partim ut officia minus perfecta transmutentur in perse-
 cta, partim ut vita hominum efficiatur magis beata. Vti vero
 cuius debet esse integrum pacisci de iis, quae nec iure diui-
 no, nec iure humano vetantur, ita quoque publica postulat sa-
 lus, ut fidem pactorum quoquis modo tueamur. Ea tantum
 pacta improbanda, quae ad alios decipiendos contrahuntur,
 vel quae delictis occasionem praebent, vel quae ipsis legibus
 refragantur. L. 7. §. 8. seqq. D. de pax. Si, vti supra monui,
 facul-

facultas eligendi certum domicilium cum libertate, qua quis
 fruitur, sit coniuncta, sequitur, vt etiam quis hanc facultatem
 paciscendo restringere queat. Nihil igitur obstat, quo minus
 alteri promittat, se domicilium, in quo nunc versatur, num-
 quam esse mutaturum, modo aliqua ex pacto utilitas ad pa-
 cidentem, cui quid promittitur, perueniat. Fides promisso-
 rum sancte est custodienda. Ignorant Germani subtilia pacto-
 rum discrimina a Romanis olim reperta omnibusque pactis se-
 rio atque animo liberato de rebus licitis bona fide initis, pa-
 rem potestatem tribuunt. Vide in primis, quae HAMBERGE-
 RVS in *dissertat. de non vnu stipulat. usque patior.* in for. German.
 c. 3. in *opuscul. p. 218. seqq.* monuit. Si vsum pactionis de do-
 micilio non mutando respicis, is potissimum occurrit inter de-
 sponsatos. Saepe sponsae interest, manere in perpetuum in
 eo loco, in quo fuit nata atque educata. Fruitur hic gratis
 parentum auxiliis, vicinorum atque amicorum gratia, aegroque
 animo se diuelli patitur ab iis, quibuscum simil adoleuit. Cum
 vero de hac pacti specie saepe magna animorum contentione
 disceptatum fuerit, non erit ab instituto alienum, eandem pon-
 derare paullo attentius. Est omnino fidae vxoris officium se-
 qui maritum, etiam in alium locum fortunae sedem transtule-
 rit, ne eum destituendo, finem matrimonii euertat. In quo
 quidem omnia iura amice conspirant. Ius quidem Pontificium
 hoc serio praecipit c. 3. C. 13. q. 2: *vnaquaque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte.* Hinc doctores colligunt,
 vxorem cogi posse, vt maritum sequatur, si is ex iusta causa
 domicilium mutauerit. STRYCK. de act. Part. I. c. 2. §. 26.
 In foris quoque ea inualuit opinio, vxorem obligari, vt mari-
 tum relegatum sequatur. MENCKE in *System. iur. ciu. secund. Pand.*
 L. 23. Tit. 2. §. 29. Quin SANCHEZ de *matrimon.* L. 1. *dispu-*
tat. 41. 6. eo procedit, vt statuat, mulierem, quae viro vaganti
 sciens nupfit, modo is ex causa iusta vagari velit, obstringi, vt



eum comitetur. Sed magis mihi placet opinio LEYSERI, qui in *Specim.* 666. *Medit.* 10. contendit, tunc potius vxorem agere posse aduersus maritum, ut sedem fortunarum alicubi figat. Sed tamen nec ius naturae, nec ciuale impedit, quo minus pactio libertas domicilii mutandi circumscribi possit. Qui in contrariam opinionem discedunt, his plerumque nituntur rationibus, hanc pactionem libertati naturali, quae sit vbiuis conferuanda, esse contrariam; neminem teneri ad factum praecise praestandum; esse quoque speciem seruitutis, si quis se pacto ad certum locum adstringat. Conf. GOMEZ T. II. var. *Resolut.* c. 10. 23. Sed, cum in regula electio et constitutio domicilii a cuius pendeat libero arbitrio, eisdem non intelligo, cur quis huic libertati naturali renunciare non possit. Neque iuri ciuili congruit opinio, eum, qui se ad factum praestandum pacto obligauit, non simpliciter obstringi, vt illud praeflet, vtendum fuisse ostendit THOMASIVS in *dissert.* an, qui factum promisit, liberetur praestando id, quod interest? Miror certe, Voetium, qui ad *Digest.* Libr. 5. Tit. 1. §. 101. eiusmodi pactum quidem non improbat, eius tamen vim minuere, dum sibi persuadet, marito libertatem domicilii mutandi non adimi, atque is vxori, quae ex eiusmodi mutatione detrimentum capit, tantum actio- nem ad id, quod interest, concedit. Sed parum haec opinio utilitati communi conuenit, cum hic interueniant facta incerteae aestimationis. Si quis vero actum, quo naturali libertati renunciatur, pro specie seruitutis habere velit, vereor, ne in auditum genus seruitutis, nec Romanis nec Germanis vnuquam cognitum, exoriatur. Sed hoc friuolum argumentum tanti non est, vt ei refutando diutius inhaereamus. Adde SETSERVM de iurament. Libr. 2. c. 9. et MENCKEN. loc. cit. Eiusmodi pactum esse seruandum, teste WERNHERO, Tom. III. P. 2. *Obseru.* 261. Iureconsulti Vitembergenses anno 1723. iudicarunt.

§. 6.

§. 6.

Exemplo hoc illustratur.

Communicauit mécum ILLVSTRIS Praeses sententiam, quam nuper Iureconsulti Vitembergenses pronunciarunt, iis, quae hactenus proposui, magis illustrandis valde commodam, quam subiungere non erit incongruum. Eius mens ut rectius percipiatur, breuiter speciem litis obortae enarrabo. Erat iurgium acre inter coniuges natum et graues querelae deferuntur ad iudicem. Dum haec in iudicio aguntur, interim maritus in exterias terras abit atque vxorem deserit. Maritus vero redierat in solum patrum iamque expresse declarauerat, se ad vxorem derelictam numquam reuersurum. Postulabat, ut vxor cogerneretur domicilium mutare atque vinculum matrimonii in patrio solo redintegrare. Rea hoc propositum recusabat atque sese exceptione muniebat, mariti petitionem repugnare pacto ante nuptias interposito, constante vero matrimonio, repetito, quo fidem dederit de domicilio nunquam mutando. Sequebatur sententia, qua reae iniungebatur, ut maritum, qui in externo loco iam domicilium constituerat, sequeretur simulque eidem probatio oppositae exceptionis reserabatur. Lite per multos annos protracta, demum Facultas iuridica Vitebergensis caussam sic decidit: *würde Kläger mittelst Eydes erhalten, und, daß, als er im Jahr 1762. Beklagte zur Ehe verlanget, er derselben und deren Vater ausdrücklich nicht versprochen, daß er sein Tage nicht aus Sachsen ziehen wolle, immassen ihm zuförderst zu thun oblieget, so hat Beklagte dasjenige, so ihr zu erweisen nachgelassen und sie sich angemaßet, wie Recht, nicht erwiesen, derowegen es sodann bey dem fol. 383. Vol. A. befindlichen Bescheide schlechterdings zu lassen, compensatis expensis. Princípio litis de vi et effectu pacti multum fuit disputatum. Sed Iureconsulti Lipsienses et Vitembergenses amicis suffragis in eo consenserunt, eiusmodi pactionem esse licitam.*

§. 7.



§. 7.

Vsus fori hodierni.

Quae proposui, in primis ex fontibus iuris Romani suere hausta. Iam nonnulla addam ad usum fori hodiernum spectantia. Iam prima, quae olim Romani de foro originis statuere, hodie caute sunt applicanda. Etenim apud nos forum originis tunc, si quis sibi proprium constituerit domicilium, amplius non attenditur. SCHILTER. *ad Pandect. Exercit.* 13. §. 24. In Germania forum domicilii est potentiis, foro originis. In dubio vero locus originis pro cuiusvis domicilio habetur. HORN. *Claff. 2. Resp.* 26, 2 seqq. Potest vero quisque foro domicilii naturali pro arbitrio renunciare. GAIL. *Obseruat.* L. 2. 36. 4. Licet quoque hodie domicilium mutare et a iure pristino recedere, modo hoc non fiat proposito malitioso. Multis quoque in locis census emigrationis ab eo, qui in extera loca abit, praefundus. STRUVIVS *ad Pandect. Exercit.* 50. §. 54. Saepius quis in loco plures annos comoratur, nec tamen ibi sedem fortunae stabilem constituit, nec habet animum, ibi perpetuo manendi. Tunc quidem in sensu proprio ibi non sortitur forum domicilii, sed insignis oriretur confusio, si quis eum non in loco habitationis, sed in foro originis esse conueniendum, statuere vellet. Assumamus igitur forum habitationis, quod quidem iuri Romano non esse contrarium, ex iis, quae supra fuere tradita, satis luculenter intelligitur. Conferatur HOMMELIVS in *Ariadne cap. 3.* Quae quidem opinio publicae utilitati eo magis conuenit, quo est certius, ne per ius quidem civitatis in certo loco adquisitum domicilium constituiri. LEYSER. *Specim. 72. Med. 9. 1.* Ceterum hodie vxorem quad vinculum solutam, amittere forum mariti et deinceps vel in foro originis, vel, vbi nouum domicilium comparauit, esse conueniendum, tradit BERGERVS in *Oeconom. iur. Libr. 4. T. 4. §. 1. 7.* Neque hodie hominibus propriis competit facultas, inscio vel inuito domino, cuius potestati sunt obnoxii, mutandi locum domicilii. ORDINAT. *subdit. Lusat. super. de 1652. art. 1. et Ordinat. prouinc. Lusat. infer. de 1651. Tit. 2. §. 4. seqq.* Qui dolosis persuasionibus id agunt, ut subditi ad emigrandum ex terris nostris inducantur, eorum malitia in grauioribus poenis coercet Mandatum anno 1764. euulgatum. COD. AUGUST. *continuat. Tom. I. p. 883. seqq.*



Wittenberg, Diss., 1791

ULB Halle
002 109 840

3



f

sb.

Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DE

T I B V S S DOMICILII MVTANDI SCRIBITVR

R T A T I O

V A M

E S I D E

O STEPHANO A N D I O

LECTORI SAXONIAE A CONSI-
NVM SENATVS DECRETALIVM
LTATIS IVRIDICAE ORDINARIO
CI DIRECTORE CVRIAЕ PRO-
BINATVS ASSESSORE

R. S. C I C I C C L X X X X I

Q. S.

PROPOSITVRVS EST

T O R

TOPHORVS KIRSCH E N S I S .

BERGAE

CHRISTIANI DÜRRIL.

CLV, 17.

1291
2081